

HISTORIAM
FEBRIS SCARLATINÆ

ANNO MDCCLXVI. HERBIPOLI EPIDEMICE GRASSANTIS

PROGRAMMATIS

LOCO

RECENSET,

NOTABILIORES QUOSDAM CASUS ADDIT,

SIMULQUE

COLLEGIA SUA

AD DIEM XVII. NOVEMBRIS INDICIT

FRANCISCUS HENRICUS MEINOLPHUS
WILHELM,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR, AC PROFESSOR,
CONSILIARIUS PRINCIPIS.



No. 5.

450.

Wirceburgi, Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.

Med. v. 450

z ee

1372 485 01




nium,
tae labe
contag
gans;
linquer
guine j
loris in
bens, E



ost acrem hyemem hoc anno, circa Æquinoctium Vernale cælo continuò mutante, caput efferebat morbus quondam non ita visus, omni ætati, si festum exceperis senium, puerili præprimis inimicus, temperiei sanguinolentæ labe acri imbutæ Rheumatismi more potissimum infestus, contagium plusquàm Variolæ aut Morbilli unquam propagans; vix enim quartam pusionum partem intactam relinquens, horum quandoque aliquem bisprehendens, sanguine junctis gravior, parricidialis, maculis scarlatini coloris in cute conspicuis se manifestans, febrem sociam habens, Febris eapropter Scarlatina dicta.

A

Macu-



Maculæ hæ, eoquod essent coccinei coloris, cutis superficiem non excedentes, in latitudinem tantum exprorectæ, ab Exanthematibus aliis luculenter se distinguebant: Purpurâ namque subobscurè rubente, fastigiata, ejusque colliculis oculo commodè discernendis; Morbillis verò coloris inter Purpuram & Scarlatinam medii, saturatè rosei, ultra cutem prominere apicibus saltem digitorum explorandis; Erysipelate rosei & floridi coloris, Petechiis profundioribus lenticulæ ambitûs maculis instar morsûs pulicum se manifestantibus; Febre Urticatâ per pustulas elatas coloris pallidè rosei, vel tubercula potiùs eorum adinstar, quæ in membro urticis caeso oboriuntur, prodeunte.


Amicè cœpit, & progressâ est hæc febris usque ad Solstitium Æstivum, Medicis non multum negotii faciens, funesto symptomate vix uno exosa, re soli naturæ commissâ, modò injuriosum nihil officiosè perpetraretur, citò absolvens, Scarlatinae benignæ nomen hinc optimè merita, à Londinensium HIPPOCRATE SYDENHAMO, sed non nisi exeunte æstate observata, & pag. 162. & 163. Tom. I. à Celeb. GORTERO *Prax. Med. edit. Pat. fol. 120. & 121.* à SCHROECKIO in *Ephem. N. C. Dec. III. Ann. IX. & X. append. fol. 38. in Act. Med. Berol. Vol. X. pag. 43.* à NENTERO *fund. Med. Tom. II. pag. 581.* memorata.

Mox à Solstitio Æstivo tempestate sicca & calidâ, Martio incedens habitu, inclementiùs favire cœpit, ex æstu solis novas quasi vires naçta, circa dies caniculares in citam
multo-

multorum perniciem inopinatò jamjam adulta, operosissimæ Arti inemendata persapè resistens, Scarlatina maligna jure compellenda, à Celeb. PLENCIZIO Vindobonensium Medico in *Tractatu Anno 1764. edito* exactè descripta, utpote plus unâ vice sollicitè observata; à Medicis Berolinensibus in *Actis suis Vol. II. pag. 4.* consignata, adornatâ Anno 1720. in Novembri per circulum Brandeburgicum multâ strage infamis, utpote Petechiis malè sociata; à Celeb. MORTON in *Tract. de Febr. inflammat. univers. pag. 29. 30. 31. 32. & 34.* historiis quibusdam definita; apud nos insolito & vix viso symptomatum satellitio stipata, potissimum ideo Programmatis nostri argumentum.

Tandem finiente Augusto sereniorè passim faciem induens & pigrius & mitius invasit laceffendo jam lassâ: donec ad Æquinoctium Autumnale terga daret cæde dives, & tenello fœda sanguine, patriis Franconiæ septis porrò excessè in æternum jussâ.

Scarlatina benigna invadere solebat ad morem aliarum febrium Exanthematicarum cum horripilatione, quam excipiebat mox calor mitis, cum lumborum, non rarò brachiorum & crurum dolore Rheumatismum æmulans, præsertim cum adultos impeteret, inappetentiâ, leni dolore capitis, subinde gravedine, fiti, ardore faucium, tussiculâ inani, languore aliquo, anxietate non magnâ, somno interrupto, febre miti typum quotidianæ ex tertianâ communissimè fervante: donec ad tertiam plerumque accessio-



nem, subin ad secundam in facie mox intumescente erumperent maculae rubellae cum vicinis confluentes, hinc latiores redditae, & velut Erysipelas quoddam, sed coccinei coloris amplum, mox collum, pectus, & tandem omnem corporis habitum unâ rubedine tingentes, cancro cocto jam non absimilem; interspersis tamen non rarò alicubi integræ, candidæque cutis insulis. Hæ maculae digito pressæ ruborem exuebant, albescebant, remoto digito pristinus mox redibat cinnabarinus color.

In hoc stadio morbi præter modicam febrem, sitim, dolorem capitis, aliqualem deglutiendi difficultatem, partium affectarum dolorem nonnihil ardentem, nullum memorabile symptoma urgebat. Hæmorrhagia narium huic morbi ætati quandoque cum euphoriâ superveniebat.

Tandem ad finem quartæ ab eruptione diei derumescente sensim facie, & sic reliquo corpore, cum mitigatione symptomatum rubor pallecebat, peribat subin sine, communissimè cum subsequâ cuticulæ desquamatione sensim & sensim fiente. Alvus hucusque immorigera sponte jam solvitur, somnus pacatior redditur. Sic septimo ab invasione die sine magnâ molestiâ absolvebat hæc febris relictâ lassitudine aliquâ, & non rarò tussiculâ siccâ; appetitum verò integrè vigente. Erat hic communissimus Scarlatinæ benignæ nostræ genius.

Subinde tamen intactâ facie quasdam corporis partes, & post Nycthemeri spatium relictis prioribus alias, &
 sic


fic successivè omnes corporis regiones cum tumore, rubore, dolore ardente afficiebat Scarlatina benigna. Tandem circa nonum diem relicto plerumque ad pedem abscessu disparuit sine decorticatione, imbellicitate levi remanente.

Benignissima omnium, quam aliquoties, & non nisi ineunte Septembri observare contigit, solam faciem sine præviâ ægritudine, cum levissimo dolore capitis adoriebatur, hanc solam sine manifestâ febre tenebat post aliquot dies evanida.

Quò liberior respiratio erat & deglutitio facilior, eò minor dolor capitis, & Scarlatina benignior. Quò eruptio Scarlatinæ tardior & rarior erat, eò benigna ordinaria mitior erat.

De Scarlatinâ malignâ testabantur præter symptomata benignam comitantia, sed atrociora, insuper magna virium prostratio, deliquium animi, vomitus, dolor capitis ingens, febris intensâ, fitis magna, respiratio parva, laboriosa, deglutitio difficilis, inquietudo, jactitatio, anxietas, vigiliæ, coma, delirium, convulsio.

Tandem primâ, ad summum, quod admodum rarum, secundâ die erumpebat Scarlatina. Præter gravia alia febris acutæ symptomata tumor, dolor, rubor faucium cum deglutiendi, respirandi subin, & loquendi difficultate, Parotidum inflammatione in hoc stadio præcipuè urgebant.



gebant. Nonnunquam cum tussi enormi Hæmopthysis, Miētus cruentus, Pleuritis, Dyfenteria, Petechiæ huic statui se affociabant.

Decurrebat hic morbus cum periculo ad nonum, decimum quartum diem; circa quem, quandoque ferius, cum apparente symptomatum remissione, somno, alvo & urinâ coctis, aliquando salivatione ad aliquot libras viginti quatuor horarum spatio copiosâ, albescere incipiebant maculæ, & sensim disparere, morbusque solvi cum decorticatione hîc majore, quàm in Scarlatinâ benignâ.

Hæc decorticatio in manibus & pedibus maxima erat; ita, ut integra velut tegmina digitorum, & quasi chirothecæ deciderent. Major erat, quò cutis plus obsita maculis erat.

Pessima Scarlatina urente Sirio sine prævio valetudinis incommòdo sanissimos, & non rarò è somno excitos cum convulsione, delirio, anginâ præfocante, dejectione involuntariâ fœtidissimâ alvi, pulsu debili, celerrimo, inæquali, anxietate, jactitatione horrendâ, facie mox intensissimè rubente, calente & immensum inflatâ, reliquo corpore sparsim tantùm & levissimè obfesso adoriebatur; hæc enim tertio, ad summum quarto die trucidabat doctissimâ arte utut oppugnata; Gangrænam enim intercutem maculæ jam altero die livescentes cum interspersis vibicibus luridi coloris testabantur.

Circa


Circa Scarlatinam malignam generale hoc erat observatum: quò plus urgebat angina, quò citior macularum eruptio cum signis malignitatis, quò diebus canicularibus vicinior hic morbus, quò minùs tumebat, minùs occupabatur corporis cortex cum Scarlatinâ mox prodeunte, mox disparente, eò pejor morbus.

Dysenteria huic Scarlatinæ superveniens plerumque lethalis erat.

Pueritiam transgressis mitior erat Scarlatina, & sæpè medelam admittens; sanguine verò junctis in unâ domo commorantibus (id quod mirum dictu) gravissima, perniciofa.

Salivatio ad erumpentem malignam obveniens læti indicii erat, & copiofa durans Critica.

Post Febrem Scarlatinam benignam aliquando, post malignam vix non semper decimo, decimo quarto, trigesimo die, subin sextâ hebdomadâ, cum ægri res in vado esse dixisses, superveniebat nova periodus; invadebat communiter febris nova nonnunquam satis vehemens, mox improvisò intumescibat primò facies, dein totum corpus, rumore indies & tandem prodigiosè aucto, velut œdemate universali, digitis impressis tamen foveam non relinquente, rheumatici potiùs, quàm œdematis propriè dicti ingenium præferente, plerumque cum siti, urinâ lixiviosâ
pau-



paucâ, tuffi ficcâ, refpiratione difficili, aliquando cum delirio, fopore, anginâ, ictero. Durabat hoc ftadium novem, fubin quatuordecim diebus æque perniciofum, quàm ipfa Scarlatina.

Perpetua vix non erat Scarlatinæ in hunc tumorem declinatio; ita, ut vifo hoc folo Medicus jam expertus concluderet, Scarlatinam præceffiffe: quanquam non ubique pariter, fed fubinde mitius incederet.

Ex languore, inappetentiâ poft Scarlatinam fuperfite, exanthematibus copiofis prægreffis, decorticatione magnâ, & præcipuè cum primâ febre defunctus liberiori aëri paulò citius fe credidiffet, præfagiebatur hic tumor pro ratione febris comitis, & decorticationis prægreffæ major vel minor.

Scarlatina benigna fibi relicta omni periculo vacabat; hinc induftriam artem non ita exigebat. Vocatus in primo morbi ingreffu, & per reliquum decurfum ægrotis aurâ liberiore, vino, efu carnum, foco luculenter inftructo interdixi; neque prius quam apparentibus maculis juffi, ut lecto fe committerent, capite elato cubarent, non aliis, quam quibus in profperâ valetudine uti fueverant, fragulis tecti. Pro potu ordinario, quem affatim hauriendum monebam, decoctum hordei cum pauco melle & quartâ parte lactis, vel ferum lactis cum melle inferviebat. Mixturam

N. I. omni bihorio molliori ætati ad unum, adultioribus


ad

ad plura cochlearia porrigendam, decoctum Specierum N. 2. ad pacandam tussim cum lacte sæpè per diem ad cyathos calidiusculè hauriendum suasi. Noctes insomnes Epispastico ex fermento panis plantis pedum applicato, & proportionatâ dosi Syrupi Diacodii tranquillâ reddidi. Non aliud cibi genus, quàm cremorem hordei, avenæ &c. cum succo citri, fructus horæos concessi. Ardorem faucium gargarisima emolliens cum melle rosarum, paxillo aceto & granis aliquot salis ammoniaci depurati mitigabat.

Ad finem morbi laxans rhabarbarinum cum fructu exhibebam, & vini modicam quantitatem aquâ diluti, si per tussim liceret, concedebam.

Arcendi autem feriò erant reconvalescentes diu à frequentatione aëris liberioris; aliàs supervenire solebat tumor ille leucophlegmaticus, qui quandoque nullâ arte potuit præpediri.

Hæc ipsa febris indiscretam artem experta, regimine nimis calido tractata, pressis stragulorum, foci, lecti, cardiacorum, vini, theriacæ, salium volatiliu usu sudoribus, materiam morbi foras pellendi scopo, exuto amico genio in malignam degeneravit. Testor tot funestos eventus, ubi mitissimo morbo detenti, malo fato in medicastrum incidentes, ejus hortatu, matrum Scarlatinæ eruptionem ante tempus expectantium jussu, ad sudores compositi, coacti ab ipso momento in pejus ruere cœperunt, ac demum



adoleſcente malo, ſuorum ſpem fallentes, inauſpicatæ medelæ noxam ſuo interitu comprobarunt; tantum enim aberat, ut emendato morbo materia hæc arte per ſpiracula cutis amandaretur, quin potiùs ad interiora capitis, pectoris &c. migraret, Phrenitidem, Coma, Convulſiones, Pleuritidem, Hamorrhagiam narium vix ſiſtendam crearet.

Sola methodus Sydenhamiana hîc proficiebat Gangranâ nondum natâ. Ante omnia 1^{mo}. virili imperio Medici ad conſcientiam potiùs, quàm dubiam famam ſe componentis, contra heterodoxam muliercularum mentem non ratiocinio, ſed ſolâ authoritate domandarum, eximendus erat lecto ægrotans, concilianda liberior aura, & ſi primum præ debilitate impoſſibile eſſet, vertendus ſaltem in lecto ſapiùs erat patiens, ne ſudores pergerent tam noxii. 2^{do}. Inſtituenda erat venæſectio, hæcque pro ſymptomatum exigentiâ repetenda. 3^{io}. Injiciendus clyſter emolliens, refrigerans. 4^{to}. His peractis non rarò cum bonis ægri rebus præter Epifpaſtica, veſicatoria applicata, anodyna propinabantur; ſicque contra exſpectationem multorum revivifcebant, emergebant morti jamjam adjudicati, ad exemplum juvenis à SYDENHAMO memorati, qui in Variolis è Phrenitide mortuus jam habitus, in menſâ nudus poſitus, aëris frigidioris beneficio ad vitam quaſi revocatus eſt: ſic plures, de quibus jam conclamatum erat, poſt deceptam cuſtodum ſedulitatem, auram frigidiorē naçti, aut prece emendicantes, elogio Celeberrimi Viri ſervati ſunt.

Scarla-

Scarlatina maligna seriâ & maturâ ope indigebat, sine cujus adminiculo plerumque in gangrænam & certam mortem terminabatur.

Quamprimùm ergo ex symptomatibus constabat, morbum ex malignorum genere affligere, & signa Gangrænæ aberant, quodcunque morbi stadium esset, præter regimen ad curam Scarlatinæ benignæ ordinatum sanguis largâ manu mittendus erat, idque ad symptomatum urgentissimorum, Anginæ & febris scilicet emendationem & remissionem usque audacter repetere conveniebat; phlebotomiâ enim neglectâ, quamcunque artem administrâsses, actum egisses. Sanguis è venâ missus phlogisticus semper erat. In infantili & tenellâ admodum ætate sanguisugas ceu remedium vicarium pone aures, subinde iteratò applicare oportebat, & ubique enemata ex sero lactis, melle & nitro continuò interponere, pedibus fomenta tepida, emollientia admoveere; sicque prægressâ curâ antiphlogisticâ Epispastica, vesicatoria cum commodo quandoque in usum vocabantur. Rebus ita gestis minutâ mole movendorum, febris moderatior reddebatur; impetu ad superiora imminuto revulsio & derivatio pulchrè consequebatur. Mixtura N. 3. omni semihorâ ad unciam unam à principio ad finem morbi usque propinabatur. Decoctum hordei cum lacte vel serum lactis pro potu ordinario conveniebat, interposito usu decocti N. 2. sæpè per diem calidiusculè hauriendi. Post curam antiphlogisticam ad inquietudinem, ardorem, vigilias demulcendas emulsionibus anodynis opus erat. In fine laxans Rhabarbarinum conferebat.

Apparentibus Petechiis præter Mixturam N. 4. omni horâ ad duo, tria cochlearia fumendam, serum lactis vinosum conducebat.

Vomitoria ab Empiricis bilem corruptam in primis viis accusantibus vigente morbo data febrem, anxietatem, deglutiendi difficultatem, deliria augebant subsequâ sanio-re arte vix emendanda.

Pleuritis ex præpostero regimine nimis calido, curâ antiphlogisticâ à principio neglectâ, subinde ex maligno morbi genio prævio horrore & succedente presso pede vehementissimâ febre superveniens, materiâ morbi relicto cortice corporis ad septa intercostalia fusâ, pulsu duro, dolore punctorio alicubi locorum thoracis gliscente, inter tussendum aucto se manifestans missione sanguinis hîc semper phlogistici, pro ratione circumstantiarum audacter reiterandâ, potu diluente antiphlogistico, fomentis tepidis, quale præbet sapo venetus in aquâ solutus, ad loca dolentia indigebat; tunc enim plerumque septimo die alvo, sputo & urinâ coctis, sudore universali, Hæmorrhagiâ narium morbus judicabatur sine desquamatione aliâs solenni.

Dysenteria in Augusto Scarlatinae sæpissimè cum funesto eventu se jungens, cum horrore & novâ febre adoriens venæsectione, saturato decocto Altheæ, sero lactis, decocto hordei cum lacte, clystere demulcente egebat;
 urgen-

urgente tamen nimiùm tenesmo, dejectionibus frequentissimis cum nausêâ & conatu vomendi, febre ad justam mediocritatem justâ arte redactâ, inflammatione faucium emendatâ vomitorium indicabatur cum regimine, nonnunquam repetendum; vesperi verò tranquillitas opio concilianda erat: aliàs vel sibi relictus hic morbus, vel adstringentibus intempestivè oppugnatus in gangrænâ abibat.

Nunquam decorticationem cuticulæ tantam observavi, quàm in Scarlatinâ, cui Dysenteria malè sociata erat.

Subinde Dysenteriam ex neglectâ methodo debitâ, aut vi morbi gangræna excipiebat intestinorum, Scarlatinâ inoffenso pede sua stadia absolvente, & in desquammationem usque terminatâ, lamellis deciduis pergamenæ non ab similibus.

Reliquiæ febris post Scarlatinam malignam familiariter molestæ, tussî plerumque stipatæ febris Hecticæ viam sternebant, abigendæ prævio laxante, cura lactis cum aquis felteranis, abstinentiâ à carne, interposito usu corticis peruviani diuturno.

Ultimùm seriò monendi erant morbum perpeffi, confanati, & pancreaticè licet valentes, ut præter diætâ eupeptam verno & æstivo tempore aëris liberioris commercium caverent, transpirationem usu decocti rasuræ Quajaci conservarent, frictionibus cum pannis laneis adjuvandam;

denique ex usu pilularum N. 5. corpus roborent, sicque muniti sensim aëri assuescerent. His non rarò tumor leucophlegmaticus pulchrè præcaveri poterat; subinde tamen, quod jam monui, irritâ omni arte comparuit aquâ cum pessimâ Scarlatinâ strage funestus.

Tumor hic oppugnandus erat ex templo remediis lentorem solventibus, solutum mox per alvi & urinæ vias evacuantibus. Sudorifera sola hîc incassum tentabantur.

Huic scopo satisfiebat per mixturam N. 6. quater de die ad cochleare unum vel alterum haustam, & dosim pulverum N. 7. omni tri- vel quadrihorio cum mixturâ sumendam, interposito usu decocti No. 8.

Horum remediorum efficaciam urinæ sanguinolentæ plures libræ Nycthemeri spatio excernebantur, insimul alvus serosa, fœtida crebrò respondebat, quæ non obsequiosa clystere salino sollicitanda erat, respiratio mox facilior reddebatur, somnus redibat; tumor scroti pene retracto, & intra tumorem abscondito pertinacissimè ut plurimum subsistens fomentorum ex aquâ calcis cum spiritu vini camphorato, & sale ammoniaco applicatione subsidebat. Plurimumque die decimo omnis tumor aberat, urinâ adhuc per plures dies liberaliùs fluente.

Denique corpus præter frictions siccas pilulis N. 5. ter de die sumptis roborandum erat; unde immanis ciborum

rum appetitus & hians fames sequebatur ne vulgaria quidem spernens.

Subinde tamen hic tumor cataclysmo seroso cavum pectoris inundante post viginti quatuor horas praviè nil mali sentientes, sanos subdolè inter horrendas anxietates suffocabat.


Sopor huic tumori junctus vesicatoria nuchæ, subin raso capiti applicanda, comes febris cum delirio, comate sanguinis missionem aut sanguisugas exigebant.

Hæc sunt, quæ de utrâque Scarlatinâ ad lectum observata fido calamo consignavi.

Adjeci nonnullos casus oppidò raros, morbi indolem, à benignissimâ ad pessimam usque lineâ ductâ, diversam admodum probantes.

Causam hujus morbi, an hæc à feminio nascatur juxta PLENCIZIUM; an verò à corruptelâ bilis, statuente sic Celeberrimo GORTERO, ortum trahat, non definitio, pulchrè gnarus artem nostram non hypothesibus, sed experiundo lucrari.

Nudum morbum sisto, & simplicem, quæ nonnunquam profecit, rationem medendi oppono, ne præfixos transgrediar Programmatis fines.



CASUS I.

Filia mea duodecim annorum, texturæ gracilis, fi-
niente Augusto, post noctem pro more tranquillè peractam
de mane horâ statâ evigilans, sine præviâ ægritudine, sine
horrore, sine omni febris vestigio faciem offert Scarlatinâ
obsitam, reliquo corpore intacto manente. Nullam hic
morbus præter levissimum dolorem capitis, & languorem
aliquem, inferebat molestiam post duos dies evanidus.
Lapso triduo filium octo annorum, & sic porrò reliquos
duos minores eodem tenore adoriebatur, & sine arte ab-
solvebat mitissima hæc Scarlatina sine desquamatione, sine
tumore subsequenteribus. Erat hæc benignissimi morbi spe-
cies.

CASUS II.

In Junio bimestris filiola Perillustris D. Capitanei
de J. in viciniâ meâ convellitur; luctatur cum tetro hoc
morbo misella infans novem continuos dies, quin hoc tem-
pore vel semel ubera matris admitteret; ita tamen, ut quan-
doque per horam intermitterent ferociam convulsiones.
Convaluit præter expectationem bonâ arte adjuncta ægro-
tans. Decendio elapso comparuerunt in pectore dextro
maculæ scarlatinæ mox confluentes cum tumore, dolore
ad attactum urente per nycthemeri spatium durantes, quo
elapso relietâ priore parte sanâ pectus sinistrum, dein bra-
chium dextrum, sinistrum exposit, & sic successivè omnes
corpusculi partes eodem tenore occupabantur; donec post
decem


decem dierum iter ad malleolum internum pedis sinistri pedem figeret morbus; ubi orto abscessu per plures dies pus bonum eructante è tantis periculis eluctabatur tenella, in parentum gaudia superstes. Præter clysteres per decursum ultimi morbi, & mixturam N. I. nullo alio remedio usâ est. Erat hic extraordinarius benignæ Scarlatinæ genius.

CASUS III.

Circa finem Aprilis bini fratres, octo unus, decem annorum alter, in æde R. D. Vicarii MANN post unius diei languorem afficiebantur Scarlatinâ, quæ caput & univ-
ersum corpus, ne plantâ pedis exceptâ, cum tumore & ardore, levi deglutiendi difficultate momento citius tingebat. Somnus primis diebus interruptus erat, nonnullus capitis dolor, febris moderata. Quarto ab eruptione die disparere cœperunt maculæ, & sine omni crisi visibili rediit pristina sanitas, cuticulâ in furfures solutâ, & decedente. Præter mixturam N. I. & decoctum hordei cum lacte, unâ cum decocto spec. N. 2. nullum remedium indicabatur. Erat hic communissimus Scarlatinæ benignæ mos, utriusque sexûs omnem ætatem, ne quadragenariâ exceptâ, ultra quam rarò progrediebatur, infestans. Ex quo hic morbus dominabatur, octuaginta numero & ultra, hâc benignâ correptos, meæ curæ commissos, omnes sine multâ artis sollicitudine, solâ diætâ, & regimine in acutis debito confanatos.

CASUS IV.

Studiosus Theologus viginti annorum non procul ab ædiculâ divæ Catharinæ sacrâ ad finem Junii corripiebatur



tur Scarlatinâ ex symptomatibus, quæ renunciabant mihi domestici, benignâ. Visâ macularum eruptione, jubebatur à medicastro ægrotans, ut ad sudorem compositus, oberans per corpus venenum exturbare foras omni ope conaretur, atque in hunc finem vinum generosum pro lubitu indubiè hauriret; quo strenuè factò tertio die jam monebat dolor lateris cum respiratione difficili, siti intensissimâ; quibus indies auctis, sudore coacto, guttatim fluente, quartâ nocte deliria urgebant; quinto die vocatus ego phreniticum inveni paulo post convulsam, extinctum. Infimista in eodem cubili ex eodem morbo in tertium diem decumbens, eâdem methodo iniquè tractatus, jam subdelirans, ex venæsectione & curâ antiphlogisticâ, me ordinante, præsentaneum leninem sensit, convaluit. En regiminis calidi inter eruditos etiamnum vigentis noxam.

CASUS V.

Illustrissimus Comes de D... viginti annorum, temperamenti sanguinei tenuis, ad finem Martiiprehenditur Scarlatinâ non levissimâ cum deglutiendi difficultate, dolore capitis, tussiculâ, tumore ad genam dextram inflammatorio magno; ita tamen, ut exesse lecto sine magno incommodo possit. Vocatus inveni pulsam fortem non ita celerem, urinam turbidam; incipientem observavi salivationem, quæ mox crescebat adeo, ut viginti quatuor horarum spatio ultra aliquot libras salivæ viscidæ nihil fetentis excernerentur. Tumori externo vaporem aquæ ebullientis sæpius per diem admoveri jussi; quo factò is sine suppura-

ratio-

ratione resolutus post biduum evanuit. Mixturam N. 3. omni horâ ad unciam unam sumendam, & decoctum N. 2. calidiusculè sæpe hauriendum suasi: sic præter serum lactis pro potu ordinario, gargarisma emolliens & debitum regimen, quarto die salivâ viscidiorè & parciore redditâ, urinâ copiosissimè sedimentosâ, post paucos dies integrè convaluit eruditissimus Comes; mirum tamen, quod post mensem aurâ non ita favente, cui se liberaliùs exposuerat, recrudesceret morbus, eâdem methodo, salivatione jam diutius protractâ, septimo die sine desquamatione, sine tumore subsequens denuò sublatus: D. Comite uti animo, ita corpore modò vigente.

Eandem salivæ excretionem à principio ad finem quartæ diei durantem observavi in Scarlatinâ ineunte Septembri nobilem D. de H. modò Rhetorem, Patris de Patriâ insigniter meriti nuper pientissimè defuncti quindecim annorum filium non ad vulgaria natum infestante: ubi, cum fluente salivâ copiosissimâ, urinâ turbidâ, susurrus aurium, pervigilia, angina, febris ad signa delirii usque increverent, tertio die sanguinem ad octo uncias mitti, mox Epispastica ad plantas pedum applicari jussi; quo factò eodem die morbus in melius mutari, & ad finem quarti diei cum omni symptomate inimico disparere cœpit. Mirum, quod stante salivatione sanguis emissus crustam formaverit phlogisticam. En ideam morbi malignantis.

CASUS VI.

D. M... quindecim annorum studiosus, Rei monetariæ hujatis Directoris filius moribus probus circa initium

Septembris levi horrore corripitur, quem excipit calor cum enormi bilis æruginosæ vomitu; mox universum corpus unâ rubedine perfunditur cum febre vehementi, siti inextinguibili: altero die disparentibus maculis conqueritur patiens de dolore lateris dextri in inspiratione auctiore, tussi continuâ siccâ, dolore capitis, respiratione difficili, anxietate, anginâ, siti intensissimâ; cum calore æstuante sicco durissimus pulsus erat. Venæsectione mox ad unicas decem institutâ, altero die repetitâ, continuo usu Mixture N. 3. potu copiosissimo feri lactis cum melle & decocti N. 2. fomentis ad locum affectum applicatis efficiebatur, ut tertio die elideretur sputum cum striis sanguineis, quinto & sexto die alvus copiosissimè solveretur, septimo die roscidus erumperet sudor, urina sedimentesceret, sequeretur hoc ipso die bis hæmorrhagia narium, & morbus judicaretur, quin per decursum Pleuritidis Scarlatina vel momento rediret, quin desquamatio, vel hanc tumor sequeretur. En Scarlatina malignæ speciem.

CASUS VII.


Vir religiosissimus, temperiei sanguinolentæ labe acri infectæ P. Josephus S. O. Prædic. ineunte Septembri post levem horrorem, nauseam, conatum vomendi, deliquium animi frequens, dolorem capitis, difficultatem deglutiendi, sentit calorem urentem cum siti intensissimâ; post nullius somni noctem altero die in conspectum venit Scarlatina non nisi faciem, & aliquas corporis insulas vagè obsidens; mox ingruit delirium cum subsultu tendinum; tertio die accedunt convulsiones; quarto die disparet Scarlatina, & ejus
loco

loco numerosæ petechiæ per omne corpus, solâ facie exceptâ, prodeunt, quæ cum dejectione alvi cadaver olente, involuntariâ, urinâ inadvertenter emissâ, pulsu debili, celeri, ambitum corporis occupabant ad nonum diem usque; ubi sudore largo oborto, urinâ sedimentosâ, rediit ad se candidus vir à secundo morbi die usque huc indefinenter delirans, eorum, quæ contigerant, nihil conscius.

Præter venæsectionem à principio administratam & curam antiphlogisticam, gargarismata emollientia, clysteres, tandem apparentibus petechiis serum lactis vinosum copiosissimè haustum, vesicatoria, cortex peruvianus in Mixtura N. 4. vesperi & per noctem Emulsiones anodynæ, camphorata pulcherrimè conduxerunt; sicque extremo periculo præter omnium spem se exiit amicus omnibus patiens; sed ægrè se collegit; post purgans tamen rhabarbarinum, & corticem aliquamdiu sumptum, sopitis inde febris reliquiis, rediit appetitus, sensim robur, & pristina integritas; ante aliquot enim dies primâ denuò vice sacris operari cepit zelosissimus Mysta. En maligna pessimæ Scarlatinæ vestigia.

CASUS VIII.

In Augusto tempestate per diem calidâ & siccâ, de nocte, id quod per omnem æstatem vix non semper observabatur, frigidiusculâ, venustissimus D. Consilarii Aulici K... octo annorum filius prehenditur Scarlatinâ malignâ cum inflammatione parotidum. Medicus ordinarius verfatissimus in Arte Vir D. Professor PAPIUS cum Expertissi-



mo, D. Doctore JAEGER in consilium accito, pro more suo omnem lapidem movebat, ut atrox malum mitigaret; venæsectionem cum reliquâ curâ antiphlogisticâ administrabat: hoc non obstante morbus indies in pejus ruebat. Quinto die & ego in consilium vocor. Patientem animam agere invenio; facies enim immensum tumet livida, respiratio laboriosissima est, sublimis, manus frigent, pulsus vix sensibilis est, nares stillant ingentem quantitatem saniei fœtidæ, rhonchos ducit comatosus æger post horam suffocatus.

Eodem mane filius alter septem annorum idem cubile inhabitans hoc morbo corripitur, & jam cum morte luctari videtur; in morbi enim limine mox Scarlatinâ perfusus delirat cum horrendâ jactatione, convellitur, insciè alvum pessimè olentem dimittit, maculis post aliquot horas jam lividis, nigrescentibus. Terrebant hæc symptomata ad finem tertiæ diei usque; ubi sævâ convulsione correptus extinguebatur.

Venæsectio, cum ob perpetuam miselli circumactionem, convulsionem, lanceolæ aditus vix possibilis esset, non administrabatur; sed mox hirudines pone aures applicabantur: vulnuscula per omnem noctem stillantia ad minimum octo uncias sanguinis dabant; Epispastica, vesicatoria admovebantur, sed frustra.

Post novendium tertius trium annorum filius præviè sanus, è somno excitus subito convellitur, Scarlatinâ jam per omne corpus conspicuâ, facie immensum tumente, urinâ aquosâ sæpissimè missâ, anginâ præfocante &c. convulsione tertio die sævissimâ denuò obortâ expirans.

Tan-

Tandem filiola unius anni eodem contagio infecta interiit; sicque omnis proles quatuor Medicorum non infirmi nominis industriam potius, quam artem incassum experta, cum ad sumenda medicamenta seu vi, seu blanditiis vix semel adduci posset, ante dierum meridiem ad ætatis suæ auroram occidit, utroque parente charissima pignora gemente, cælo matura.

Malignissima erat hæc Scarlatina, & quâ quæso arte emendabilis! verè parricidialis erat, quam & in familiâ comitum de Curland æque funestam recenset Expertissimus PLENCIZ.

CASUS IX.

Ineunte Augusto illustris L. B. de B... tredecim annorum perillustris stirpis furculus unicus, avitæ virtutis integer hæres ad magna natus, sextâ hebdomadâ post Scarlatinam benignam cum decorticatione finitam, tumore leucophlegmatico universi corporis infestatur cum respiratione difficillima; ita, ut non nisi erecto corpore inesse lecto possit, cumque febre, urinâ guttatim abeunte, lixiviosâ, alvo clausâ. Quarto die Consiliarius intimus & Archiater Principis primarius HUEBER, Vir profundissimus, Celebrerrimus Consiliarius Aulicus & Archiater EHLEN sagacissimus Medicus, & ego in consilium vocamur, seriò meditati, præter Mixturam N. 6. quater per diem ad cochlear unum hauriendam, pulverum N. 7. dosin unam omni trichorio sumendam, & Decocti N. 8. bonam quantitatem calidè

dè superbibendam ordinamus ; ex quorum remediorum usu, alvo mox quater per diem subsecutâ fœtidâ, serosâ, urinâ sanguinolentâ ad plures libras per nycthemerum emissâ, respiratio emendatur, somnus redit; sicque *Illustris* Patiens in extremis esse visus è diro hoc morbo nono die recreatur, quem Deus in uberem antiquissimæ familiæ spem sospitet. Tumor scroti pertinax sacculorum ex Speciebus Cephalicis, Cineribus Genistæ, farinâ Bryoniæ, Sale Ammoniaci, Camphorâ, continuato usu denique cedebat. In fine morbi usu Pilularum N. 5. cum frictionibus lætum robur accedebat cum subsequo appetitu vix explendo. Hac methodo numerosissimos hoc tumore affectos, & novissimè quidem tres in unâ æde fratres, Universitatis Bibliopecti filios reconvalescere novi.

CASUS X.

Appetente Julio honoratissimi concivis nostri Ö. germano candore omnibus amici, aggerum hujatum Præfetti filius novem annorum, patrem uti fronte referens, ita moribus præfagiens, Scarlatinâ jam ante mensem citra artem benignissimâ defunctus præter morem tristatur, dolet, tumore universum corpus subitò occupante inflatus, cum febre vehementissimâ, jactitatione, anxietate, respiratione difficillimâ cum pinnis narium motis, scapulis elevatis sublimi, tussi siccâ, inani, continuâ agitatus: secundo jam die diluvio seroso ad cava pectoris fuso, angore frigido conficitur, suffocatur morbo spatioso, artem omnem hinc nimum arctam illudente.

CASUS

CASUS XI.

Pupillus quindecim annorum cognomē Benedict, in Orphanotrophio post Scarlatinam malignam methodo anti-phlogisticā sanatam conqueritur de Parotidibus scirrhis, dolentibus, tandem exulceratis saniem foetidissimam plorantibus. Chirurghum monui, vellet speciebus pro cataplasmate addere bonam quantitatem herbae Cicutae, remediis balsamicis externis extractum Cicutae immisceret, sicque bonam suppurationem foras non frustra expectaret; ego interim praeter alviducciones iteratas, diatam convenientem, extractum Cicutae Viennensis cum decocto quajaci indies à minutâ dosi incipiendo, sumendum ordinavi, cujus unciis tribus trium mensium spatio consumptis pulchrè convaluit miser juvenis; cicatrice obductâ optimè modò valens. Hujus extracti vires in spinâ ventosâ salubres expertus non possum, quin hoc omnibus impensè recommendem, à celeberrimis viris nuper iniquâ licet censurâ damnatum, utpote ab iis, persuasissimus sum, ad æquam experientiae trutinam neutiquam exploratum.

CASUS XII.

In Junio Viri illustris de H... consilarii intimi & Feudorum Praepositi de Republicâ summè meriti filius quadrimus corripitur Scarlatinâ ad malignarum classem referendâ; hâc enim post aliquot dies sine decorticatione disparente in conspectum prodit tumor per omne corpus aequaliter dispersus, squalore displicens; huic altero die iniquè se sociat icterus colore croceo se manifestans, cum faece alvinâ cinereâ, albâ affligens, ad usum saponis veneti in Tincturâ Rhei liquidius diluti expallescent, post octo dierum moram recedens, pristinis gratis locum cedere iussus.

Mirus morbi unius genius.

MEDICAMENTA.

1.
 ℞. Aq. Samb. unc. viij.
 Acet. Samb. unc. β.
 Rob. Samb. dr. vj.
 Sal. Ammon. dep. scrup. ij.
 Syr. Diacod. unc. j. β.
 de alth. F. unc. β.
 Misce.
2.
 ℞. Spec. pro Decoēt. Alth. unc. iij.
 Rad. fenegal. dr. vj.
 Misce.
3.
 ℞. Rad. Alth. unc. β.
 Senegal. dr. iij.
 Hord crud. M. β.
 M. coq. c. aq. col. unc. x. admisc.
 Rob. Samb. dr. vj.
 Oxymell. Simpl. unc. iij. β.
 Nitr. purifs. dr. j. β.
 Misce.
4.
 ℞. Decoēt. cort. peruv. bene sa-
 turat. unc. x.
 Syr. Diacod. unc. j. β.
 de alth. F. unc. j.
 Camph. mucilag. Trag. subact.
 gr. x.
 Spirit. Sulph. p. c. gtt. xxx.
 Misce.
5.
 ℞. Limat. Mart. subtilifs. dr. iij.
 Rhei seleēt.
 Extract. cort. peruv. ana dr. j.
 ablinth. q. f.
 M. f. Pil pond. gr. ij. fumantur ter
 de die No. 4. 6. ad 8.
 6.
 ℞. Aq. Fœnic.
 Gram.
 Baccar. Junip.
 Petrosel. ana unc. ij.
 Rob. Junip. dr. vj.
 Acet. Vin. unc. β.
 Terr. fol. tart.
 Bor. Vener. ana dr. j.
 Syr. alth. unc. ij.
 Misce.
7.
 ℞. G. ammon.
 Sal. ammon. dep.
 Rhei seleēt.
 Pulv. rad. squill. anagr. iv.
 Sacch. fin. scrup. β.
 M. f. pulv. d. pro dosi, d. tal. dos.
 No. viij.
8.
 ℞. Rad. γ. Aper. Maj. ana. dr. iij.
 Liquirit.
 Ras. Quaj.
 Sassafr.
 Bacc. Junip. ana. dr. vj.
 Sem. Bad. dr. iij.
 M. C. C. D.

ORDO

ORDO COLLEGIORUM.

FRANCISCUS HENRICUS MEINOLPHUS WILHELM, Phil. & Med. Doct. Prof. Publ. diebus Lunæ, Martis, Jovis & Veneris horâ nonâ in Praxin è Cathedrâ præleget BOERHAAVII Aphorismos de cognoscendis & curandis morbis; & nequid huic penso deesse videatur, morbos, quos cursim tantum delibavit Author, latius deducet; quos verò in opere suo prætermisit celeberrimus Vir, suo quemque ordine proferet, pertractabit; neque reticebit ea, quæ subtilior hodie Anatome ad Theoriam morborum præ Authore rectiora hinc inde porrigit, & quæ ad Therapiam ex novissimè inventorum penu specifica magis nobis suppetunt.

Diebus Mercurii & sabbati eâdem horâ commentabitur in BOERHAAVII Elementa chemiæ. Disciplinam tripartitam dabit. In primâ parte Historiam chemiæ ad nostra tempora usque exponet hoc fine, ut Tyro Authorum, qui hinc nocenter ignorantur, notitiam acquirat. In secundâ parte Artis Theoriam per experimenta dabit. In tertiâ denique parte praxin suscipiet, & ad operationes fidâ manu ducet. Sic totum opus anniversario labore expedit.

Diebus sabbati horâ secundâ pomeridianâ usque ad quartam collegium casuale practicum dabit.

Privatim horis pro ætate anni maximè commodis, præviâ methodo discendi Medicinam, Institutiones BOERHAAVII ad incudem revocatas, & novissimis dogmatibus accommodatas tradet.



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1		R	2		G	3		B	4		M	5		W	6		G	7		K	8		Y	9		C	10		M	11	12	13	14	15	16	17	18	19
----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	--	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	----	---	----------	----	----	----	----	----	----	----	----	----



Inches		1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres		1	2	3	4	5	6	7	8
TIFFEN® Color Control Patches									
© The Tiffen Company, 2007									
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	
